

de Requ. in aliena Ecclesia, ubi fit Off. semid. Et quid faciendum in casu, si in supradicta aliena Ecclesia, ubi fit Officium semid., celebretur aliquod funerale? S. C. resp.: Sacerdotes regul. addictos seu vocatos ad satisfaciendum oneribus alicujus Ecclesiae, posse celebrare missas de Sancto sive de Requ. ad formam et ritum ejusd. Ecclesiae juxta rubricas. n. 3259 ad 1 et 2 die 15. Decb. 1691; n. 3350 die 22. Jan. 1695.

Sacerdos regularis invitatus extra propriam Ecclesiam ad celebrandum in die, in qua ab ipso ex praescripto proprii Instituti recitatur Off. dupl., potest se conformare cum missa, quae celebratur in illa Ecclesia, ad quam invitatur, sive sit de Sancto sive de Requiem. n. 3534 die 3. Octb. 1699.

Vd.: *infra* decr. n. 3703.

Ad dubium: an Fratres Ord. s. Francisci diebus, quibus propria Officia celebrant sub ritu dupl., celebrantes in alienis Ecclesiis possint celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes, vel de aliis, conformando se ritui earundem Ecclesiarum ac etiam de Requiem? S. C. resp.: Quoad primam partem, *negative*, quando festum celebratur cum solemnitate et concursu populi et quoad secundam partem jam provissum. n. 3586 ad 1 die 11. Jun. 1701.

Ad dubium: an Sacerdotes, qui recitant Officium de festo dupl., confluentes ad Ecclesias sive Regul. sive aliorum, ubi dicitur Officium de semid., possint ibi dicere missas priv. def.? Item recitantes Officium de martyre et celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiam nulla ibi sit solemnitas? S. C. resp.: *Negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundam, etiam quoad missam, quae non poterit celebrari de Confessore, si color fuerit rubeus.

n. 4181 ad 13 die 7. Maii 1746; n. 4526 ad 18 et 19 die 7. Sept. 1816; n. 4645 ad 6 die 17. Decb. 1828.

Vd.: *infra* decr. n. 4646.

Sacerdotes extri confluentes ad Regul. Ecclesias et celebrantes de Sanctis possunt in Missis se uniformare cum Fratibus quoad Credo et quoad numerum Orationum more Duplicium. n. 3586 ad 2 die 11. Junii 1701.

Ad dubium: quae missa celebranda sit a Sacrum facientibus in aliena Ecclesia? S. C. resp.:

Servetur decr. diei 7. Maii 1746 nimirum: missam concordare debere cum Officio, quod quis recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur. Die 12. Novb. 1831.

Tam exteri in Ecclesiis Fratrum quam fratres in alienis possunt apponere commemorationem octavae currentis servata rubrica. de duplici oratione habenda in Dominica infra octavam. n. 3586 ad 4 die 11. Junii 1701.

Sacerdos *Capellanus* Monialium Capucinarum ab ipsis institutus et ad eorum commodum celebrans potest celebrare missam juxta ritum Officii earundem Capucinarum, *dummodo tamen celebret in Ecclesia Monialium et utatur missali rom.* n. 3586 ad 1 die 11. Junii 1701; n. 4223 ad 10 et 11 die 29. Jan. 1752.

Capellani Monialium *Ord. s. Bened.* caeterique Sacerdotes saecul. et regul. ad earum Ecclesiam confluentes, missam propriam s. Benedicti cum missali *monastico* non solum in die festo sed per subsequentes dies alias non impeditos infra ejus octavam celebrare possunt ac debent. n. 4154 die 21. Mart. 1744.

Clemens PP. XI.

Licere in posterum tum *Confessorio* tum *Capellanis* tantum quarumcunque Monialium servitio addictis mis-

sas Sanctorum, de quibus ipsae recitant officium, celebrare *sed cum missali rom. et de communi*, non vero missas ppr. eorundem Sanctorum variis Ordinibus a S. C. concessas. Die 1. Decb. 1717 (Bull. r. t. VIII. p. 441).

Sacerdotes confluentes ad Monialium Ecclesias *devotionis gratia*, non possunt celebrare missas de Beatis non canonizatis ipsarum Monasteriis concessas (n. 3588 ad 2 et 3 die 11. Junii 1701), sed missam celebrandam esse a Confluentibus de die et se conformare debere Officio proprio, quatenus color paramentorum Ecclesia Monialium, in qua celebratur festum, sit idem, nec disconveniat. Secus vero alibi celebrandum.

Ad dub.: An Eremitis Sacerdotibus dictae Congregationis Camaldulensis occasione itineris seu alia quacumque ex causalitum sit celebrare Missam de Requiem in aliena Ecclesia, ubi non agitur Officium duplex, imo fiunt exequiae pro aliquo defuncto, praesente corpore, vel Anniversaria vel aliquod simile Officium pro defunctis eo die, quo ipsi Eremitae recitaverunt Officium alicujus Sancti duplicis, non obstante Decreto hujus Sac. Congregationis die 5. Augusti 1662 edito prohibente Missas defunctorum in Festis duplicibus, et per consequens: an hoc Decretum habeat locum tantum in Ecclesia propria vel etiam in aliena in casu proposito?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emmi et Rmmi Dom. Cardinalis Rubini respondit: „Posse conformari cum Ecclesia, in qua celebrat.“ Et ita declaravit. n. 3703 ad 7 die 23. Augusti 1704.

Vd.: *supra* decr. n. 3534 et 3259.

Ad dubium: Cum missae de Beatis celebrari possint tantum in illis Ecclesiis, pro quibus concessum est Officium ipsorum, dubitatur: an Sacerdotes recitantes Officium de BB. sed

celebrantes in Ecclesia, ubi fit de Sancto, possint dicere missam Officii vel teneantur se conformare Ecclesiae, in qua celebrant? S. C. resp.: *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam. n. 4526 ad 17 die 7. Sept. 1816.

Sacerdos habens Officium ritus dupl. sed celebrans in Ecclesia, in qua fit Officium de semid., non potest dicere missam votivam. *Ibid.* ad 20.

Ad dubium: An Sacerdotes saecul. sive regulares diversorum Ordinum accedentes ad Sacrum faciendum in Capella Tertiariorum prope vel intra eorum Ecclesiam contenta, teneantur se conformare tam in missa quam in colore Calendarii Fratrum et missam celebrare juxta ritum servatum in Ecclesia regulari fratrum, cum talis capella non sit de jurisdictione ordinaria et Tertiarii existant sub regimine Praelatorum Ordinis? S. C. resp.: *Affirmative*, quatenus capella fuerit intra Ecclesiam, iis tamen solum diebus, quibus festum cum solemnitate ac populi frequentia peragitur et color ab Ecclesia servatus secundum rubricas non congruit Celebrantium Officio, Missali tamen romano ab exteris Sacerdotibus adhibito. Quatenus vero Capella fuerit prope sed extra eandem Ecclesiam pariter *affirmative*, si eadem Capella ad Tertiarios *professos* pertinuerit; sed *negative*, si capella Tertiariorum *saecular.* fuerit; nisi hi gaudeant Indulto extensionis Privilegiorum, ut decessum fuerit, die 27. Aug. 1707 in resp. ad dub. 5 et in die 1. Sept. 1708; n. 4533 ad 1 die 22. Mart. 1817.

Semper uniformari debet Officio Ecclesiae, in qua sacerdos celebrat et etiam in colore paramentorum et quando est duplex tunc celebrari debet de Sancto, cujus particularis illa Ecclesia celebrat Officium. n. 4175 ad 8 die 4. Sept. 1745; n. 4223 ad 10 die

29. Jan. 1752; n. 4645 ad 1 et 2 die 17. Decb. 1828.

Ad dubium: S. R. C. decrevit 12. Novb. 1831: celebrante Sacerdote in aliena Ecclesia missam concordare debere cum Officio, quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur; quaeritur nunc: utrum debeat etiam conformari in recitatione Symboli Nicaeni sui Officii vel Officii Ecclesiae? S. C. resp.: Poterit in Officio proprio, dummodo non sit addendum ratione Corporis vel Reliquiae; debet, si celebret de Officio Ecclesiae. n. 4878 ad 6 die 11. Apr. 1840.

Mexicana.

In Ecclesia Sanctimonialium Capucinarum Civitatis Mexicanae Ordinario Dioecesano subditarum quadraginta et amplius ab hinc annis consuetudo invaluit contra id, quod hac de re praescriptum a Rubricis invenitur, ut Sacerdotes Missam sic Officio suo conformem celebrent, ut nec de colore paramentorum nec de ritu Capucinarum curent: immo potius Moniales ipsae Sacristae quotidie ad ornamenta ministranda non Ecclesiae suae propriae sed Clericale Directorium consulant et sequantur. Capellanus ergo, qui earum nunc curam gerit, S. R. C. requisivit: an standum sit in posterum praedictae consuetudini an Rubricis? S. eadem C. in Ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunata, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: „Servandas esse Rubricas et Decreta hujus S. C.“*) n. 4883 die 11. Apr. 1840.

Sanctimonialium Ordinis Capucinarum.

Quum Sanctimoniales Ord. Min. Ca-

*) Vd.: *supra* decr. n. 4181.

pu. in Civitate Panormitana Apostolicum enixe rogarint Indultum, cujus vigore singuli Sacerdotes penes ipsas Sacrum facturi omnino adigantur ad celebrandas Missas respondententes Officiis, quae ipsae recitant, inclusiva etiam Conventuali, S. R. C. ad Vaticanum hodierna die Ordinariis in Comitibus coadunata, referente Secretario, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta Missam convent. Officio diei respondentem celebrari debere per Confessarium vel Aedituum aut alterum ad hoc deputatum: quoad vero reliquos Sacerdotes in diebus dupl. conformari debere colori Paramentorum Ecclesiae.“ n. 5005.

Die 7. Decb. 1844.

Calatayeronen.

Quum Sacerdos quidam ex Civitate Calatayeronen. S. R. C. supplicarit enixe ut mentem suam aperire dignaretur super sequentibus Dubiis, nimirum:

1. An Capellani, Confessarii alique Sacerdotes Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrantes in Ecclesiis Monialium Civitatis ac Dioecesis Calatayeronen. Ordinarii potestati subiectarum rigore teneantur Missam conformare Officio, quod Sanctimoniales recitant sive quoad Sanctum et paramentorum colorem, sive quoad solum paramentorum colorem?

2. In casu affirmativo quum praedicti Capellani, Confessarii alique Sacerdotes in dictis Ecclesiis Monialium celebrantes semper et ab immemorabili concordarint Missam cum Officio assignato in Calendario Dioecesano (exceptis diebus pro iisdem Sanctimonialibus solemnioribus) immemorabilis isthaec consuetudo estne et deinceps retinenda vel ab ea recedendum?

S. eadem C., audito prius pro Informatione et Voto Rmno Ordinario ac referente subscripto Secretario

in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale coadunata respondendum censuit:

Ad 1. „Quando color Paramentorum Ecclesiae non concordat cum Officio, quod Celebrantes recitant, tunc isti celebrare debent Missam respondentem Officio Sanctimonialium attamen cum Missali Romano: secus et possunt et debent Missam celebrare respondentem Officio proprio.“

Ad 2. „Ut ad proximum, si color Paramentorum concordet.“

Atque ita rescripsit. n. 5195 die 17. Sept. 1853.

Mediolanen.

Permulta sunt Missarum onera, quae incumbunt Ecclesiae Coenobii S. Mariae Ara Coeli nuncupatae, Ordinis Fratrum S. Joannis de Deo, Civitatis Mediolanen., quae satisfieri necesse est per Saeculares Sacerdotes, quoniam penes ipsos Fratres solus reperitur Aedituus, quorum multi Ritus sequuntur Ambrosianum, proptereaque cum eisdem Ecclesiae Calendario convenire nequeunt. Verum quum satis superque constent, quae in una Varsavien. diei 7. Maii 1746 ab hac S. R. C. sancita fuere, hinc R. P. Hieronymus Cagliani recensiti Ordinis Sacerdos Professus eidem S. C. sequens proposuit dubium enodandum, nimirum:

An praedicti Sacerdotes Saeculares, sive Ritus Ambrosianum sive Romanum sequantur, supradictum Decretum in Varsavien. servare teneantur? et quatenus Affirmative: an Missam de communi legere debeant si in proprio ritu officium de eodem Sancto non recitent, vel potius valeant Missam celebrare votivam?

Et Emmi Patres Sacris ritibus tuendis praepositi, requisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem

infrascripti ejusdem S. C. Secretarii respondendum censuerunt: „In casu a Sacerdotibus Ritus Romani servetur Decretum in Varsavien. diei 7. Maii 1746, nec licere sese conformare Ecclesiae, si in ea celebretur Missa votiva et ipsi celebraverint Officium sub ritu duplici; a Sacerdotibus vero Ritus Ambrosiani servandus ipsorum Ritus.“

Et ita declararunt. Die 16. Decembris 1828. n. 4646.

Ad dubium: An Sacerdos celebrans in Ecclesia, in qua aliud peragitur Officium, possit se conformare tantum in sacris Paramentis et celebrare Missam respondentem Officio, uti ex. gr. si Officium recitavit de Martyre et in Ecclesia fiat de Confessore, possit cum Paramentis albis legere Missam de Sancto Martyre?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata rescripsit: „Negative.“ Die 16. Aprilis 1834. n. 4725.

Ad dubium: An Parochus vel alter residentiali Beneficio provisos extra propriam Ecclesiam teneatur vel possit Missam celebrare respondentem Officio, quod recitat, e. g. de Octava particulari propriae Ecclesiae, vel an potius debeat vel possit Missam celebrare respondentem Officio occurrenti in Ecclesia, in qua Sacrificium perficit? Insuper quaeritur: quid faciendum, si celebret in Oratorio privato?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„In Ecclesiis posse, si respondeat color Paramentorum: in Oratoriis privatis debere juxta alias decreta.“

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1835. n. 4751 ad 1.

Anconitana.

Precibus Sacerdotis Vincentii Bartolucci Anconitan. qui ceu Parochus

assistit Ecclesiae S. Marci ejusdem Civitatis, ubi extant Alumni Ordinis Eremitarum S. Augustini, pro opportuna declaratione sequens proposuit Dubium, nimirum: „An Parochus S. Marci in Sacro peragendo, praesertim ad unitatem et concordiam in S. Functionibus conservandam, debeat Fratrum Calendario sese accommodare, dum pro diversitate Eremitani Calendarii a Dioecesano color Paramentorum dissonat?“ S. R. C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitibus referente Secretario rescripsit: „Affirmative, sed cum Missali Romano juxta alias decreta.“ n. 4764 die 8. Aug. 1835.

Ad dubium: Poteritne quilibet Sacerdos celebrare missam votiv., ut se conformet colori albo in Ecclesia ipsa adhibito? S. C. resp.: In casu tantum, quo ritus ecclesiae id permittat. Die 11. Sept. 1847 ad 3.

33) In Eccles. certe designata celebranda.

Vd.: *Missa* (Descriptio in libro, *decr. II.*; in altarib. et eccles. praescriptis).

Ad dubium: An haeres legatum seu onus celebrationis missarum ab altari s. Francisci de Paula transferre possit ad Ecclesiam Colleg. terrae Libermani?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 5. et 26. Aug. 1719.

Mediolanen.

(Conc. Tr. Decr. de Purgat. S. 25.)

Fabritius Capellus in Testamento condito de Anno 1638 obligavit Patres Societatis Jesu Collegii Braidensis nuncupati Civitatis Mediolani haeredes institutos celebrari facere binas Missas quotidianas in eorum Ecclesia cum hac legati formula: Item lego etc. quod infrascripti haeres vel haeredes mei teneatur vel teneantur celebrari

facere Missas duas quotidianas in Ecclesia Braidensis Collegii Mediolani vel in Ecclesia S. Fidelis Mediolani R. R. DD. infrascriptorum haeredum meorum singulis diebus in perpetuum etc. et hoc pro suffragio animae meae. Deinde nominavit PP. praememorati Collegii haeredes universales iisque haereditatem non adeuntibus substitit PP. Congregationis S. Pauli Decollati necnon PP. Barnabitas S. Alexandri Mediolani et in eorum defectu vocavit Canonicos S. Mariae Passionis ejusdem Civitatis cum eisdem oneribus signanter, quod respectu dd. Missarum illi Patres, qui haeredes extiterunt, eas celebrari facere possent in ipsorum Ecclesia respective, uti latius ex particula legati in Summar. danda. Adierunt praefati Patres Collegii Braidensis dictam haereditatem ac Missarum celebrationi in Ecclesiis designatis operam usque modo dederunt; nunc verò cum dictum Collegium possideat in Dioecesi Vercellen. quoddam spaciosum Praedium nuncupatum *la Ponzana* intra fines Parochialis Ecclesiae loci Viglevani, à quo distat duorum milliarium spatio, cujus quidem rustici Incolae, qui quadringentesimum numerum pertingunt, propter distantiam à Parochiali, diebus etiam festis, praesertim brumali tempore, missam non audiunt, rudimenta Fidei prorsus ignorant et sine Sacramentorum subsidiis aliquando depereunt; hinc Patres praedicti commiserantes spirituales indigentias praefatorum Incolarum ab iisdem rogati preces SS. D. N. porrexerunt ad hanc S. C. remissas pro facultate transferendi celebrationem unius ex duabus Missis relictis à Testatore Capello ad publicum Oratorium existens in memorato Praedio ad effectum, ut Sacerdos ab Ordinario approbandus nedum inibi Missam quotidie celebret, verumetiam in casibus necessitatis muneribus parochialibus satisfaciatur, praecipue eo

tempore, quo ob aquarum inundantiam proprio Parocho non patet accessus et recessus à dicto loco Ponzani.

Comprobavit haec omnia Eminentissimus Archiepiscopus informare requisitus et Oratorum precibus annuendum censuit, consentientibus tam Rectore dicti Collegii quam Praeposito Domus Professae S. Fidelis, ut fusiùs ex ejus relatione itidem in Summar. exhibend. Quocirca Oratores ipsi humiliter petunt ab EE. VV. benigniter exaudiri sub dubio: *An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 2. Aug. 1710.

Asculana.

(Conc. Tr. C. 7. Sess. 21. De ref.)

Juspatronatus tam simplicis curialis beneficii sub titulo s. Silvestri, quam altaris in cathedrali ecclesia Asculana erecti in honorem ejusdem Sancti, ad nobilem gentem Malaspinam spectare non controversitur; Episcopus Asculanus in s. visitatione mandavit, per rectorem d. beneficii exhiberi documenta commutationis et translationis oneris missarum ab ecclesia rurali ad altare Cathedralis, ubi in praesens et a multo tempore tres missae qualibet hebdomada nomine d. rectoris celebrantur. Hinc orta est contentio: an relatum onus missarum inesset d. beneficio celebrandi eas in d. ecclesia rurali (foundationis enim monumentum ullum non reperitur) et per decretum Caffarelli episcopi ab anno 1467 ab ecclesia rurali translatum fuerit ad d. altare Cathedralis, seu tunc primum de consensu rectoris et patronorum institutum potius fuerit quam immutatum et translatum. Decreti ab utraque parte allegati tenor sequens est: „Cum ruralis ecclesia S. Silvestri egeat clerico et praebendato, licet sit sine cura, propter celebrationem divinorum in quadam capella dd. pa-

tronorum acienda et instituenda in majori ecclesia Asculana, unde rector d. ruralis ecclesiae et patroni postularunt, ut eidem rurali ecclesiae de aliquo clericorum suffragio providere digneremur. Nos vero etc. te D. Franciscum praesentatum in clericum et praebendatum ipsius ruralis ecclesiae s. Silvestri ut in quartam partem omnium fructuum d. ruralis ecclesiae, ad quem clericatum fuisti noviter electus, instituimus.“ Ab inde citra plures reperiuntur praesentationes et institutiones ad beneficium d. ruralis ecclesiae nullo expresso onere, excepta institutione anno 1579, in qua recensetur onus missarum in capella ecclesiae cathedralis juxta decretum episcopi Caffarelli; promotor tamen curiae episcopalis praecipue insistit in fundatione beneficii in d. ecclesia rurali, cujus sit onus celebratio missarum, non autem capellae cathedralis, ad quam nullum est erectum beneficium, maxime quia rectori d. ecclesiae ruralis a praediis adjacentibus solvuntur decimae non alia forsàn de causa, nisi ad consequendum commodum audiendi missarum celebrationes, cum ecclesia non sit parochialis et patroni uti laici jus decimandi habere nequeant, qui tamen praetendunt temporales esse decimas, eo quia sub onere eas solvendi ecclesiae, cui illas donaverant, praedia vel vendiderint, vel alio jure in alios transtulerint. Quapropter cum non cadat in controversiam missarum celebratio sed locus, ubi sint celebrandae missae, ab EE. VV. exquiritur: *An celebratio missarum beneficii sub titulo s. Silvestri sit facienda in ecclesia cathedrali, vel potius in altera ecclesia rurali S. Silvestri in territorio Casturani ad formam decreti lati per episcopum in s. visitatione?*

S. C. C. resp.: Servetur decretum factum ab Episcopo in Visitatione.

Die 6. Junii 1716; 16. Jan. 1717.

34) Extra Ecclesiam celebranda.

Vd.: *Orator. priv.* (decr. Clem. XI.; *Constit. Bened. XIV. §. 11.*)

Sedunen.

Precibus Parochi Ernen. in Dioecesi Sedunen. hisce conceptis terminis: Beatissime Pater. Valentinus Mutter Vicarius Foraneus et Parochus loci Ernen. Dioecesis Sedunen. humillime supplicat Sanctitati Vestrae pro facultate perpetuo celebrandi ante fores Sacelli in hon. B. M. V. aedificati et ab Ecclesia Parochiali leuca distantis pro diebus Festis Visitationis B. M. V. et aliis, in quibus occurrit Populi concursus. Hanc sperat et implorat gratiam ob praedicti Sacelli exiguitatem, qua fit ut multi Sacerdotem celebrantem videre non valentes minorem Sacrificii fructum percipere possint, ideoque deforis in muro Altare extractum est, quod, finito Missae Sacrificio, ita clauditur, ut ab omni irreverentia sit vacuum. Et Deus etc. . . . S. R. C., audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandita ac referente Secretario rescibendum censuit: *Negative juxta Votum.* n. 4788 die 27. Aug. 1836.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM.

Reddita per Constantium Imperatorem Ecclesiae pace extractisque publicis Templis, in quibus Fideles libere Religionis munera poterant exercere, ea cessarunt tempora, quibus cum ob assiduas persecutiones s. mysteria publice celebrari nequirent, quocumque in loco ea peragebantur ad vitandam Tyrannorum crudelitatem. Hoc respiciunt illa Dionysii verba: *Quivis locus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, ad sacros conventus peragendos fuit.* Romae, saevientibus persecutionibus, in arenariis, cryptis aliisque oc-

cultissimis locis Sacra peragebantur: illuc Fideles conveniebant absque persecutionis metu. Hac amplius non existente ratione Sacra peragi nequeunt nisi in Ecclesiis: hinc Cyrillus Alexandrinus adversus Anthropomorphitas scribit *cap. 2.: Donum sive oblatio, quum mystice celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Templis offerri debet, neque alibi omnino; qui secus faciunt aperte legem violant.* Sacrosancti Tridentini Concilii Patres ut debitum cultum instaurarent, qui Missae Sacrificio debetur, ad Laicorum abusum de privilegiis tollendum, vel etiam ad Episcoporum, qui passim ubique celebrandi facultatem tribuebant, nimiam coarctandam libertatem, ex quo non raro aut Fidelibus scandalum aut dedecus et irreverentia sacrae actioni oriebatur, solliciti, ut erant, Tridentini Patres in Ecclesiastica disciplina restauranda ac de cultu et veneratione erga Missae Sacrificium *Sess. XXII. de observandis et evitandis in celebratione Missae generali Decreto sanxerunt. . . . Ne patiantur locorum Ordinarii privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi.* Hoc Decretum consonat iis quae leguntur in Canone *Missam, de Consecratione Dist. I.: Missarum solemniam non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit celebranda censemus: pariter cap. 1. de Consecratione Dist. I.: In aliis quam Domino sacratis locis, id est in Tabernaculis divinis precibus a Pontifice delibutis Missam cantare, aut Sacrificia offerre non licet, nisi summa cogeret necessitas.* Ex Sacrosancti Concilii Decreto, ex Canonum dispositione locus pro Missae Sacrificio celebrando

est Ecclesia, sunt Oratoria ad divinum cultum dicata; alibi celebrare haud omnino licet. Hoc generice; potest enim Missa celebrari in Oratoriis privatis, quod aliquibus ex Apostolico privilegio conceditur, iis servatis conditionibus, quae solent in Literis Apostolicis apponi. In allato cap. de Consecratione Dist. I. reperitur quaedam exceptio, nam postquam praeceperit: *Non aliis quam Domino sacratis locis licere Missam cantare aut Sacrificium offerre,* haec leguntur: *Nisi summa urget necessitas.* Jam videndum est, an haec urgeat necessitas, quae non quaecumque, sed *summa* esse debet, ob quam posset supplex Parochus vel alius quicumque Sacerdos solvi a generali lege et ab obligatione celebrandi Missam in Ecclesia aut Oratorio, ut supra, et facultatem obtinere eam celebrandi extra Sacellum ante hujus fores. Sane satis est supplicem libellum Oratoris legere, ut ipso primo intuitu appareat nullam, non modo summam, sed quamcumque necessitatem, ut possit a communi et generali lege dispensari. Porro summa eturgens causa non ea est, quae est apprehensa ut talis, sed vera et realis, quaeque a Theologis admittitur, cum e. g. deest Ecclesiarum copia et urget praecceptum celebrationis vel audiendi Sacrum, tunc tempore pestis, belli, persecutionis, cum imminens adest vitae periculum, quibus in circumstantiis quovis in loco celebratio permittitur. Deficiente hac necessitate nulla sufficiens ratio reperitur, quae suadeat recedi posse a generali lege, ab antiquissima consuetudine Parochi loci Ernen. precibus annuendo. Exclusa necessitate pro dispensatione concedenda, minora sunt, quae exponit Parochus; adducit ipse, ut quod petit obtineat, tamquam rationes praecipuas, suam erga *Beatissimam Virginem devotionem* aequae ac Populi, cujus diebus in precibus

notatis, occurrit concursus. Jam simplex devotio non est sufficiens ratio pro dispensatione a lege obtinenda: si haec admitteretur ratio, actum esset de quamplurimis Ecclesiasticis Sanctionibus; omnes enim sola devotionis causa exemptionem ab illis postularent, quod certe nequit admitti; neque pariter pro sufficienti ratione haberi potest Populi concursus, qui a devotione tantum oritur, non a necessitate ad Sacellum accedendi; ipso enim fatente Parochus alia extat Ecclesia, nempe Parochialis et haec non ita dissita, ut sit difficillimus aut impossibilis accessus, leuca enim tantum distat. Duo autem quae addit non majoris momenti reperiuntur: exiguitatem nempe Sacelli, per quam fit ut Fideles Celebrantem non videant, et minorem, ut ipse ex ea infert, fructum a Sacrificio hac de causa percipiendum. Primum per se ipsum corrui, nam non deest Ecclesia et haec, ut supra notatum est, non valde dissita. Adeam, si dies fert obligationem audiendi Sacrum, prius accedant pro praeccepti adimplimento et deinde adeant Sacellum, ut devotioni satisfaciant. Quod autem ab exiguitate Sacelli infert, nequit prorsus admitti et absurditatem redolet. Fructus enim quem a sacrificio Fideles percipiunt non a materiali pendet praesentia, sed a majori vel minori quaque adest attentione, mentis ad Deum elatione, cordis affectu et tantae actionis consideratione. Haec aliaque similia requiruntur ad fructum percipiendum, quae si desint, nullus perciperetur fructus; posset enim aliquis videre et audire Celebrantem, nullum tamen, licet sit praesens, peculiarem acquirere fructum, eo quod vel mente vagatur vel cum vicino loquitur, vel dormitat aliudque agit, quod a sacra actione est alienum, nec quidquid minimum de ea cogitat. Ex his omnibus sive a Lege sive a Concilio Triden-